

405

403

409

399

414

394

454

354

504

304

Ende

Anfang

394

pontifice summo concedente suae observantiae fundamenta jecere, et ab eo Justinae loco succrescens congregatio S. Justinae denominata est, quae postmodum incredibiliter et viris praestantissimis et locis bonis temporalibus excrescens, et (B) per universas provincias se diffundens, Eugenius gloriosus pontifex IV. eam maximis privilegiis et immunitatibus et locorum concessionibus plurimum juvit. Qui nostro saeculo, quanto splendore virorum religiosissimorum, doctrina, gravitate ac sapientia venerandorum, fulgeat, dicere non attinet, qui, etsi birretatos et in universitatibus promotoes paucos habeant et pauca conscribant aut populo publice non declament, tamen, cum religiosissimi sint, continue legunt, continue student et tempus extra divinum officium non nisi legendo deducunt, nec patiuntur, propter studium divinum diminui cultum, nec divinum officium impedit eorum felix studium. Unde accidit Deo opitulante, ut apud eos innumeri viri existant docti, juristae, legistae, canonistae, philosophi, rhetores, historiographi, et ante omnia fundatissimi theologi, qui obmutescere faciunt verbosas clamorasque argumentationes biretatorum et sine fundamento titularium promotorum. Insuper dicti domini de observantia Patres virtuosae activae vitae lucidissima exemplaria pae cunctis clarent. Quae enim religio tam larga in eleemosynarum distributione? tam pia in hospitalitatis exhibitione? quis quaeso episcopus eis in hoc antefertur, aut certe quis princeps? Profecto nullus. Ad eorum enim monasteria convolant examina pauperum, ut mel de ornatisimis sugant flosculis, ita, ut eorum curiae non videantur esse monachorum et dominorum habitacula, sed pauperum, miserorum et peregrinorum receptacula. Super omnia autem religiosos ad se declinantes eximia caritate, hilari jucunditate suscipiunt, praeципue si docti et exemplares sint, unde raro sunt sine religiosis hospitibus. Ad hos fratres Praedicatores et Minores de observantia tamquam ad proprios conventus sine metu gaudenter intrant et tam frequenter, ut in nonnullis monasteriis caritas illorum dominorum designaverit illis fratribus proprium habitaculum ad manendum, in quo ita delicate tractantur ab eis, ac si essent angeli a Deo missi. Hanc charitativam hospitum religiosorum susceptionem et liberalitatem illorum dominorum in egenos et mendicos percipientes principes et nobiles cum exercitibus transeuntes ingrediuntur, et quisque reutherus, cliens et armatus breviorem et longiorem

